



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Paschalis II. Papæ epistola, qua pondus apostolicæ auctoritatis addit
superioribus Ludovici litteris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

*PASCHALIS II. PAPA
epistola qua pondus apostolicæ auctoritatis
addit superioribus Ludovici litteris.*

An. 1113.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Galoni & Capitulo Parisiensis Ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem. Sicut ex relatione vestra & ex litteris regiis intelleximus, Parisiensis Ecclesia magnum hactenus rerum suarum patiebatur incommodum, pro eo quod ipsius Ecclesiæ famuli, qui apud vos servi vulgò improprie nuncupantur, in forensibus & civilibus causis vel placitis adversus liberos homines nullatenus admitterentur in testimonium. Cui rei dilectus filius noster Ludovicus Francorum Rex pro utilitate ecclesiastica ita consulendum arbitratus est ut Episcoporum ac procerum consilio & assensu institueret Parisiensis Ecclesiæ famulos in omnibus causis, placitis, & negotiis adversus omnes homines tam liberos quam servos liberam & perfectam habere testificandi & bellandi licentiam, ita ut nemo eorum testimonio pro ecclesiasticæ servitutis occasione calumniam inferat. Nos itaque petitionem vestram rationabilem perpendentes, id ipsum pro ecclesiasticæ utilitatis & iustitiæ intuitu decreti nostri assertionem firmamus. Neque enim æquum est ecclesiasticam familiam iisdem conditionibus coerceri quibus servi secularium hominum coercerentur. Sicut igitur prænominatus Francorum Rex regia benignitate instituit, ita nos Ecclesiæ vestræ familiam, quæ sub Episcopi seu Canonici iure consistit, hac nostræ auctoritatis concessione donamus ut in forensibus & civilibus causis vel placitis adversus quolibet seculares personas in

testimonium efficaciter admittatur, nec propter ecclesiasticæ clientelæ obnoxietatem, si alia non impediunt, eorum testimonium refutetur.

Ego Paschalis catholica Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Datum Beneventi per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij IX. Kalendas Februarij, Indictione sexta, incarnationis dominicæ anno * M C X I V. pontificatus * M C X I I I, autem Domni Paschalis secundi Papæ anno X I V.

*EIVSDEM PASCHALIS
epistola ad Iohannem Priorem Ecclesiæ
beati Petri de Valeriis in Septimania.*

Paschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto Anno 1114, filio Iohanni Priori Ecclesiæ beati Petri de Valeriis ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Apostolicæ sedis auctoritate debitoque compellimur pro universarum Ecclesiarum statu satagere, & earum maximè quæ sedi eidem tanquam jure proprio subjectæ sunt, quieti auxiliante Domino providere. Eapropter, fili carissime Iohannes, petitionibus tuis non immeritò duximus annuendum, ut Ecclesiam sancti Petri de Valeriis, cui per nostram institutionem Deo auctore præsidet, apostolicæ sedis privilegio muniremus. Is siquidem locus, licet incultus ac solitarius, cum ex traditione veteri beati Petri nomine haberetur insignis, à possessoribus loci, dominis videlicet Rainardo Amati & filiis ejus Bernardo & Ermengaudo, per manus Framaldi apostolicæ Ecclesiæ Presbyteri in jus ac possessionem sedis apostolicæ traditus est, ac deinceps multorum fidelium collationibus ampliatus. Ipsum itaque lo-

Anno 1114.